

1685

P O L E M I C I.

1686

De Sex Erroribus et nobis relatae alibi, quibus adhaerent aliae *Bernardi, Gregorii M. Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Job. Chrysofomi, Isidori, Bedae, Anselmi*, quae *Husso* in rem suam opportunae videbantur; non enim in ejus controversiis veterum Ecclesiae Doctorum reverentia tantopere evilerat, ut postmodum accidit.

VI. fol. 152. *Sententia Magistri Johannis Husi*. Lata nempe in eum a Concilio Constant. ut alibi.

VII. fol. 153. p. 2. *Sermo qui factus est in degradacione Magistri Johannis Husi*. Videlicet *Jacobi Ep. Laudens.* Ejus initium: *Diuini ac summi presidij supplici invocacione confisus &c.* Ut alias. Pluries item impressus.

VIII. fol. 156. Articuli e Libro *Joh. Husi de Ecclesia* a Constantiensi Concilio damnati cum Monitorio praevio ad Commissarios in materia fidei, ut *Boemos* informet de sincera intentione Concilii &c. Adi *Indicem*.

IX. fol. 159. Relatio boh. de Supplicio *Joh. Husi*, sive *Passigie Mistra Jana Husi*. Ut alibi.

X. fol. 168. Ejusdem *Epistolae* IV. bohemicae, quae latine redditae habentur edit. *supracit.* n. XII. XIII. XIV. XIX. Adi *Indicem*.

CCCCXXVIII.

920 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 219. 4. non una Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

manu exaratus, et rubricis distinctus continet: I. praemisso Indice Tractatum *Joh. Husi de Ecclesia*, cujus initium: *Cum quilibet viator debet fideliter credere &c.* Extat edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 243. et nobis saepius relatus est.

II. fol. 101. sequuntur *Articuli Magistro Husi oblatis in carcere formaliter de suo libro extracti de ecclesia*. Ineunt: *Ego Johannes hus in spe sacerdos ihesu christi &c.* Est Series illa XXXIII. Articulorum, de qua dixi Cod. CCCCXXI. hujus initii: *Ecclesia catholica seu uniuersalis &c.* Paulo aliter edit. *cit.* p. 19.

III. fol. 109. p. 2. *Ordo procedendi in causa Magistri Jo. h. per ipsummet signatus*. Initium: *Item dominus Jbinco pragensis Archiepiscopus fecerat mandatum Magistris doctoribus baccalariis et studentibus, ut libros vicleff reponerent, ut in quibus errores reperirentur, in dei nomine comburerentur. &c.* Atque ita narratur Series gestorum tam *Pragae*, quam in *Romana Curia*, omnia tamen in favorem *Husi*, dum concludatur: *Item prefatus Magister Joh. h. jam venit ad istud generale concilium, in quo vult fidem suam ostendere paratus respondere publice, et sicut multi sinistre habent de ipso opinionem, sic ab ipso audiant rectam fidem.* Hinc liquet scribendi tempus et Scripti finis, quod ab *Husi* Amicis sub ejus adventum *Constantiae* diditum fuisse puto. Habentur edit. *Opp. cit.* p. 109.

H h

IV.

1687

C O D I C E S

1688

IV. fol. 113. *Incipit quadripartita Magistri Alani edicio contra hereticos. valdenses. judeos. paganos.* Scripsit hanc Summam *Alanus de Insulis* Ord. Cist. et quidem aetate admodum deventa, si annum agentem 93. mors a. 1202. abstulit, ut vult *Oudinus* rationibus nixus T. II. col. 1404. ubi Opus nostrum videlicet post Concilium *Lateran.* III. confectum anno 1183 — 84. adsignat. Dicavit illud Autor *Guilhelmo Montis Pessulani Principi*, quem *Codex* noster cum aliis *Reverendissimum*, quidam vero *Codices Amantissimum* vocant, et rectius quidem, quamvis enim Praefules duo *Guillemi* Sedem *Montispeffulanam* ab a. 1190. ad an. 1202. tenuerint, tota tamen Dicationis phrasis non Episcopum, sed Principem profanum innuit. Infit illa: *Reuerendissimo (Amantissimo) Domino suo guilhelmo dei gratia Montispeffulani principi, quem non solum generosi generis titulus insignit &c.* Opus vero ipsum in Capita diuisum: *Sicut in antiquorum tractatibus legitur quod proci et proceres &c.* Parte I. per *Haereticos* potissimum *Albigenses* intelliguntur; P. IV. vero *Mahometani* per *Paganos*. Partes II. priores primum editae sunt *Parisi.* e *Biblioth. Pap. Massoni* 1612. 8. dein emendatius cum primis 3. Capp. Partis III. a *Carolo de Visch* inter alia *Alani Opera Antverpiae* 1654. f. Pars tandem III. et IV. ab eodem reperta in *Archicoenobio Cisterciensi* ad-

juncta fuit *Bibliothecae Scriptorum Ord. Cist. Coloniae* 1656. 4. Ait *Vischius* studiose per nominatissimas quasque Bibliothecas longe lateque incassum quaesitas. At reperisset in *Caesarea* et quidem castigatius scriptas. Quantum igitur Literatis consulitur *Codicum mss. Catalogis* impressione vulgaris!

V. fol. 159. Brevis Recensus Errorum *Waldensibus* tributorum, cujus hoc initium: *Quidam scribit contra valdenses quod ortus eorum est malus, progressus peior, exitus pessimus &c.* Fusius haec apud *Reinerum Saccon. Petr. de Pillichsdorf*, et in *Jac. Gretseri Triade Scriptor. adv. Waldens. Sectam.* Confer item *Codd. CCCXXIX. et DCCXXXIII.*

VI. fol. 161. Collectanea *Joh. Hussi* e PP. de *Creare, Credere, Remittere &c.* ut alibi. Hic glossulis *bohemicis* respersa.

VII. fol. 173. *De Communione spiritali et sacramentali integra sub duplici forma panis et vini communitatem plebium concernente Magistri J.* Non dubito *Scripturae* et PP. ab eo congesta jam non semel retulimus. Ea, quae prae manibus sunt, incipiunt: *Saluator noster Dominus ihesus noui testamenti institutor in cena sua nouissima &c.*

VIII. fol. 180. Tractatio brevis de Fide et Symbolo Apost. cujus initium: *Fides fidei a fide dicitur, et est fides qua veraciter credimus &c.*

IX.

1689

P O L E M I C I.

1690

IX. fol. 185. Collectanea varia dogmatica et moralia e PP. et Seneca.

X. fol. 206. p. 2. Enumeratio Praeceptorum Decalogi, Peccatorum capitalium, Donorum Spiritus sancti, Sacramentorum, Operum Misericordiae &c.

XI. fol. 209. Institutio de Decalogo anteriore parte mutilata; incipit enim in medio Praecepti: *Non facies furtum*, his verbis: *propter immisericos et avaros, qui retrahunt panem ab egeno &c.*

XII. fol. 215. p. 2. *Vtrum fideles currentes viam spiritualem ad habendum celeste brauium et fideliter agonisantes pro corona patrie debent a mendacijs sicut a crapula abstinere.* Alter dixisset: *Quod — debeant*; sed hic *Wiclefistarum* et sequacium mos erat, certissima quaeque Problemati subicere et ventilare. E quodam *Wiclefi* Opere decerptam esse hanc Quaestionem puto; mox enim in Fratres Mendicantes incurrit. Initium: *Nunc dicendum contra sic. cum omne mendacium sit peccatum &c.* Caret fine.

XIII. fol. 218. Rationes contra Primatum Ecclesiae Rom. et Indulgentias, e Scriptis *Wiclefi*, ut videtur. Inscribuntur: *Vtrum ecclesia romana sit caput vniuersalis ecclesie, uel vniuersalis ecclesia sine qua non est salus.*

CCCCXXIX.

921 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 167. 4. commode,

non tamen ab eadem manu per totum scriptus, et rubricis distinctus exhibet: I. *Job. Hussi* Tractatum de Ecclesia, incipientem: *Cum quilibet viator debet fideliter credere &c.* et nobis multoties repetitum, hicque, ut alias, ἀνωρυμωσ. Accedit ad calcem Index rerum.

II. fol. 120. sequitur pariter ἀνωρυμωσ Eiusdem Quaestio disputata contra Cruciatam *Jobannis XXIII.* quae habetur edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 215. hoc initio: *Triplici re ad presens negotium urgeor &c.* A nobis relata alibi.

III. fol. 144. Rursus absque Inscriptione *Positio* illa *Friderici Epinge*, quae relata est et alibi, de Jure Excommunicandi, hoc initio: *Credo communionem sanctorum &c.*

IV. fol. 156. absque Inscriptione Sermo de Eucharistia, quo contenditur: *quod homo tenetur hoc sacramentum sumere non solum ex statuto ecclesie sed etiam ex mandato domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem.* In illud: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.* *Job. 6.* Incipit: *Secundum Thomam parte tertia summe sue &c.* Sub finem provocat Autor ad dicta sua de materia de usura et de conclusionibus doctorum de constantia de communionem calicis; unde fors ejus nomen elici posset, si operae pretium esset immorari.

CCCCXXX.

H h 2